



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 101. Insulsa hujus Apostatæ consilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

trecentesimo quinquagesimo, dum Bartholomæus Spifamius vivebat, ex quo omnes hujus nominis posterius, necnon Bisseonii, Grangii, & Passii ortum ducebant. Jacobus Spifamius, cujus nunc meminimus, Patrem habebat Spifamium Passium, qui Regi ab epistolis insuper pro belli sumptibus ærarii Præfectus præter morem nominatus erat, ejus autem Mater fuerat Jacobetta Ruzza, quæ Jacobum ex quinque Filiis postremum progenuit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

§. CI.

Insulsa hujus Apostatæ consilia.

Postmodum Spifamius Genevæ una cum sua familia honeste vivebat, nam ibi, eo quod secum multas divitias attulisset, se tanquam Nobilem gerebat, amplasque eleemosynas elargiebatur, qua liberalitate multos sibi conciliabat amicos, ac Senatorum, qui in variis negotiis ejus consilia exquirebant, confidentiam sibi attrahebat: moram autem, quam Genevæ trahebat, frequenter diversis interrompebat itineribus, quæ suscipere cogebatur, præcipue in Germaniam, quo eum Condæus ablegabat, ut belli ab hoc Principe contra Regem suum suscepti æquitatem vendicaret: ibidem Spifamius quatuor divulgabat literas a Catharina Medicæa Regi-

Spon. t. 2.
l. 3. p. 115.

M 3

na

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

na ad hunc Principem datas, quibus eidem Regni salutem, ac Regis Filii sui emolumenta commendabat: cum autem Spifamius præter ceteras animi sui dotes, præcipua polleret dexteritate in regendis ærarii publici negotiis, hinc Joanna Albreta Antonii Borbonii Vidua, Navarræ Regina, atque Henrici IV. Franciæ Regis Mater eundem ad se accersebat, ut publica illius negotia suis obsequiis promoveret: eapropter ineunte anno a Christi nativitate millesimo quingentesimo sexagesimo quarto annuente Magistratu, & Senatu Ecclesiastico Geneva excessit: verum Albreta Regina turbido hujus Viri ingenio offensa paulopost eundem valere iussit, quinimo adversus eum acres dedit literas ad Theodorum Bezam: ceterum cum Spifamius privatam vitam agere haud assuetus esset, præsentis conditionis suæ pertæsus cum Gallis in gratiam redire statuit, insulsa spe lactatus, quod ibidem supremus regii ærarii Præfectus nominandus esset: ast eo tempore futuræ rerum vicissitudines ejusdem consiliis obstabant, quippe Joannes Spifamius ejusdem Nepos adversus Catharinam Gaspernam, ejusque proles, Andream, atque Annam litem intentabat, postulans a Parisiensi Senatu, ut hæc foemina tanquam Patru sui concubina,
ejus

ejus vero proles veluti spuriae soboles, utpote ex incæstis nuptiis procreatæ declararentur, proin ipse Joannes post Patru sui obitum illius hæreditatem obtinere valeret. Jacobus Spifamius ut hujus litis rationes eluderet, falsas conubii sui cum Catharina Gasparena contracti tabulas conscribebat, illisque diem secundam Augusti Anni post Christum natum millesimi quingentesimi trigesimali apponebat: verum eadem fraus, quam ad suæ causæ defensionem sibi deservire crediderat, postmodum eidem maximo fuit nocumento, ignoratur tamen, quis demum exitus fuerit litis a suo Nepote in eum intentatæ.

Interim vana sua consilia adhuc altius urgebat Spifamius; statuerat enim Tulensem Episcopatum in Lotharingia a Galliarum Rege postulare, non ex eo fine, ut Episcopum Catholico-Romanum ibidem ageret, sed adulterinam Reformationis sectam inveheret, ac Militiorum caput eligeretur: insuper etiam profanum hujus Episcopatus Dominum, ac jurisdictionem sibi tradi petebat, quam in rem Mense Februario Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto ad Colinium Maris Præfectum literas dabat: verum hac ipsa agendi ratione Protestantium indignationem sibi accersebat, credebatur

Sæcul. XVI.
A. C. 1567.

Sæcul XVI
A.C 1567.

tur enim rursus ad Ecclesiæ Catholicæ, quam abjecerat, finem reversurus: ea propter consultum fore censebatur, ut captivus detineretur: mox igitur comprehensus, cunctisque ejus scriptis sedulo excussis confictæ conjugii tabulæ, quarum supra meminimus, reperiiebantur, quæ desperatæ ejus causæ affererant momentum maxime noxium; quippe ejus concubina Gasparena ipsamet hujus scripti falsitatem agnoscebat, ac coram Spisamio confictum esse hoc testimonium testabatur, unde & ipse rei veritatem fateri compellebatur: itaque tanquam adulterii reus damnatur, & quin inconstantia, ac perfidia ipsi imputatæ mentio fieret, intra tridui spatium judicii acta in eum fuerunt instructa.

§. CII.

Crimina sua fassus, ac Judicium suorum clementiam implorans.

Spon. p. 118. Cum Spisamius se condemnari cerneret, summa animi demissione judicium clementiam implorabat, supplicans, ut ponderare velint, quod adulterii crimen, cujus reus esset, peccatum foret jam ante triginta ferme annos eo tempore perpetratum, quæ non modo Parisiis, atque in Galliis, ubi tum morabatur, sed etiam Genevæ morum